

Petrus de Vinea

*Ep. V 19 (Vocatus nuper
ad presentiam nostram...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 19 (Vocatus nuper
ad presentiam nostram...)*

1241?

Eidem, ut manuteneat et defendat illos, quos et sua bona sub imperiali protectione suscepserat.

1. Vocatus nuper ad presentiam nostram magister P. de ... pro instantibus excellentiae nostrae seruitiis, quae personam suam specialiter exigebant, domesticas et festivas primitias nuptiarum, quae in coniugium uicinitate tripudiant, mandatis parendo dominicis, interrupit. 2. Cumque domum suam et consortis suae nouae constantiam, cuius erat in suo pectore cura maior, dum custodes incertos uel incognitos hospites nollet ad hoc, uel potius dubitaret, admittere, socru suae, de qua prae ceteris confidebat, specialiter et fiducialiter commisisset, ut quae, licet in totum uirilem supplere non posset absentiam, nichilominus tamen abinde non discedat, dictus ... magister nostro culmini supplicauit, ut domum et filios socrus ipsius, quos ex causa predicta deseruit, sub nostra protectione recipi mandaremus. 3. Cuius supplicationibus inclinati, fidelitati tuae precipiendo mandamus, quatenus domum terras et filios mulieris ipsius non permittas ab aliquo molestari, sed ipsos in eorum uiribus auctoritate nostri culminis manuteneas et defendas.